

V I R O D O C T I S S I M O
I O A N N I S C H O N E R O M A
thematico, Philippus Melanthon S. D.



Vm Vrbs Noriberga multis ciuilibus ornamentis abundet, hoc decus profecto non in postremis numerandum est, quòd aliquot iam seculis perpetuò in ea urbe, studia Mathematicum magna cum laude floruerunt. Atq; ita genius urbis huic pulcherrimæ parti Philosophiæ fauet, ut non solum aliunde accersiti sint à Repub. homines doctissimi, qui eius doctrinæ possessionem retinerent, sed etiam procrearit ipsa urbs multa foelicia ingenia, quæ in his artibus excelluerunt, colantq; has disciplinas non solum pauci quidam ociosi, solis dediti literis, sed alij etiam multi, occupati tum priuatis negotijs, tum Reipub. procuratione. Meo quidem iudicio gloriosius est Athenis, quòd philosophiæ & omnium optimarum artium, quæ ad bene beateq; uiuendum necessariae sunt, inde usq; à Platonis ætate ad Antoniorum tempora annos ferè sexcentos domicilium perpetuum fuerunt, quàm quòd principatum Græciæ tenuerunt annos septuaginta, qui non solum nihil utilitatis attulit uenturæ ætati & reliquis gentibus, sed tunc quoq; Athenis ipsis calamitosus fuit. Ne Miletum quidem tam ornarunt amplissimæ opes, quàm uir doctissimus Thales, qui non solū in ea urbe, sed in tota Ionia primus excitauit studia doctrinæ de rebus cœlestibus, ostendit siderum motus, & certam anni rationem descripsit. Nec Alexandria nobilior est conditore Alexandro, quàm perpetua philosophiæ conseruatione & propagatione. Itaq; hæc doctrinæ studia iure commemoramus inter præcipua urbis Noribergæ ornamenta. Hæc enim urbs fouit ingenium Ioannis de Regiomonte, habuit & ciues summis ingenijs præditos, qui has disciplinas tum coluerunt, tum etiam illustrarunt. D. Ioannem Vermerum. D. Præpositum Melchiorem Pfintzing. D. Bilibaldum Pyrcamerum. D. Cholerum. Nec ulla tam celebris est Academia, in qua hodie maior sit frequentia eruditorum in hoc genere quàm Noribergæ. Nec tantum fruitur ipsa urbs uoluptate huius doctrinæ, sed quod est honestissimum, præclare meretur de omni posteritate. Multa enim utilia monumenta ediderunt homines doctissimi, Ioannes de Regiomonte, qui huius urbis hospitio, & multis beneficijs usus est, & alij ciues, quorum extant scripta. Hæc beneficia philosophiæ studiosos agnoscere decet, & huic urbi gratiam habere ex animo, eamq; in primis amare, tanquam huius præstantissimæ doctrinæ hospitium. Et si autem possessionem huius laudis multi in urbe uestra retinent, tamen hoc nomine tibi doctissime Schonere plurimum debent studiosi, quòd industriam